

Q. F. F. Q. S.

MELETĒMA PHILOSOPHICUM

USUM SCIENTIÆ
NATURALIS

IN

THEOLOGIA REVELATA

Leviter adumbrans,

Quod

Conf. ampl. Facult. Phil. in Reg. Acad. Aboëns.

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI

D^N. JOHANNIS
BROWALLII,

S. S. Theol. Doct. ac Scient. Nat. Prof. Reg. & ord.
h. t. RECT. MAGNIF.

PRO GRADU

publicæ honorum censura submittit

STIPENDIARIUS REGIUS

JOHANNES LAHIANDER H. F.

BOREA FINNO.

die XII Julii, Anno MDCCXLV. h. l. solitis.

ABOÆ, Excud. JOH. KIÄMPE, Reg. Ac. Typ.

S:æ R: æ
MAGNÆ FI.

Reverendissimo Pa.

D_{N.} JONÆ

S. S. Theol. DOCTORI consummatissimo, inclitæ
Regiæ, quæ ibidem est, Academiae PROCANCEL-
listorii Ecclesiastici PRÆSIDI gravissimo, Scholarum
MÆCENATI

RECTORI MAGNIFICO

D_{N.} JOH. BROWALLIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI maxime Reverendo,
Scientiæ Naturalis PROFESSORI celeberrimo, u-
triusque Consistorii ADSESSORI æquissimo, Ecele-
siarum ad Divam Mariam & Paatis ANTISTITI
gravissimo,

MÆCENATI & PATRONO magno,

VIRO *Maxime Reveren-*

D_{N.} GREGORIO

Ling. Orient. PROFESSORI Reg. & Ordin. Eccle-
NATI & PROMOTORI, ut certissimo, ita omni

I*D est proprium ingentis virtutis Magnorum ac Cele-*
Favoris Eorum *erga elicientes documenta, iisdem sa-*

M:tis
DEI VIRO

tri ac Domino

FAHLENIO,

diœceseos Aboënsis EPISCOPO eminentissimo,
LARIO magnificentissimo, Summe Venerandi Con-
per totam diœcesin EPHORO accuratissimo,
MAXIMO

VIRO Maxime Reverendo atq; Celeberrimo

D^N. JOH. WALLENIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI Pri-
mario, ANTISSIMI ecclesiæ Fennicæ Aboënsis
gravissimo, utriusque Consistorii ADSESSORI æ-
quissimo,

MÆCENATI & PATRONO magno,

do atque Amplissimo

STEENMAN,

siæ Pæmærensium PASTORI vigilantissimo, MÆCE-
aniqui veneratione ad cineres usque colendo,

brum Virorum; quod, esse plurima essent Gratia &
men, indies majorem, majoremque, addere cumulum baud gra-
ven-

ventur. Student tantum a'is praestare bonitate, quantum illis dignitate antecellunt. Exemplum praeterea imitantur solis, qui etiam ad humilia quaeque radios demittit eademque collustrat ac vegetat. Nihil ergo est, quod dubitem, quominus Tu Reverendissime Pater ac Domine, Vosque Mæcenates & Patroni propensissimi, rudes hae pagellas, non solum de Nominibus Vestris nitorem sibi mutuare ac dignitatem faciles patiamini; sed & dicatas Vobis ac consecratas, ceu aeternum devoti & grati animi pignus Gratiose & Benigne excipiat, pro perennâ Vestra Vestrorumque felicitate semper ex sincero pectore calidissima nuncupabo vota, quoad vixero permansurus,

Magnorum ac Celebrium Nominum Vestrorum

Cultor & Client devotissimus
JOHANNES LAHIANDER.



§. I.

Prolixæ inter viros celebres occasionem dedit controversiæ notio vocis naturæ in scriptis Physicorum varie determinata (a); sed nec homonymiam hanc fusius exponere, nec logomachias ob eandem subiunde ortis immorari vacat ad res ipsas properantibus. (b) Sufficit indicasse, naturam nobis integrum rerum materialium denotare systema s. complexum; quæ neque inusitata est vocis acceptio. Præter alios, numero haud paucos, eandem adoptavit Sam. Christ. HOLMANNUS instit: philos. nat. prol. §. 28. p.m. 20. Consentit vulgaris vocabuli usurpatio, quando e. g. dicitur hoc vel illud individuum non dari in rerum natura. Imo nec aliam ob causam potentiæ cor-

2
porum movendi ac resistendi vires naturæ dictæ sunt; nec rationes, quas constanter observant corpora, dum semet invicem motu & resistantia afficiunt, naturæ leges. Proinde, scientia, quæ in eo est occupata, ut corporum vires, leges s. rationes agendi, attributa, texturam ac dispositionem partium explicet, atque phaenomenorum & mutationum, quæ in illis contingunt, rationes reddat, ab objecto suo philosophia denominatur naturalis; quæ eundem quoque in sensum Physica dici solevit. Quemadmodum vero nulla cognitio (per Def.) scientiæ nomen meretur, quæ solide non est demonstrata; ita etiam veritates physicas demonstrari oportet. Id autem ceu singulare demonstrationum physicarum requisitum sedulo observari debere monemus, quod bases earum, i. e. saltem minores propositiones in unoquoque ratiocinio in demonstrationes incurrente, semper sint ab ipsa experientia depromtæ, majoribus vel a mathesi pura, vel aliis quæcunque a priori cognita veritate, imprimis vero e detectis naturæ legibus suppeditatis ac mutuatis. Arque sic patet non scientiam naturæ solam, sed & ejusdem
histo.

historiam ad nostrum pertinere propositum; si-
quidem hæc posterior prioris notionem tanquam
pars quædam constitutiva ingreditur. Cogni-
tionem igitur naturæ, qualem illam nobis exhi-
bent, non solum veteres Græci, Romani,
Scholastici, eorumq; sectatores &c. (*); sed &
recentiorum nonnulli; quatenus a priori petitis
ingeniosis hypothesebus & subtilitatibus metha-
physicis, secreta naturæ pandere volunt, phi-
losophiæ nomine indignam judicamus. Hi e-
nim, quemadmodum, cognitione historica sus-
que deque habita, iis solum adhaerunt, quæ
speciem excellentis ingenii præ se ferunt &
quæ tumidæ ac verbosæ cathedræ quam vitæ
sunt accommodatiora, ita eos etiam in
naturali scientia plurima amplexos fuisse somnia
& chimæras detexit industria pertinacium natu-
ræ scrutatorum, qui experientiam consuluerunt
& ex consilio illustr. F. Bæc. de VERULAMIO,
naturam igne & ferro i. e. chymicis & anatomi-
cis mechanicisq; experimentis devastarunt ac explo-
rarunt. Omnem tamen hypotheseum usum non pro-
scribimus, cum sæpe veritatibus indagandis præbe-
ant occasionem, immo aliquando ad ratio-

4
nem cuiusdam phaenomeni reddendam necessa-
riae videantur. Id solum monemus illas ad no-
stram scopum vix aliquid conferre; hypotheses
quippe ad revelationis explicationem applicare vel
etiam revelationem ad hypothesis confirmationem
arcessere, Christiano indignum censemus.

(*) Schol. Neque potuit ab illis quidquam praeter
ineptias expectari, quamdiu integra systema-
ta physica condere sustinuerunt, necessariis ad-
miniculis destituti. Erant enim vel matheseo-
s, vel chymie, vel utriusque ignari; saltem
neutram ad naturae secreta indaganda rite ap-
plicabant; quae tamen amba auxiliatrices stu-
dioso naturae manus porrigere debent. Care-
bant praeterea instrumentis, utpote telescopiis,
microscopiis, barometris, thermometris, specu-
lis causticis & quae sunt reliqua ad apparatus
instrumentorum mechanicorum pertinentia,
quae posterioris aevi industria invenit, quibus-
que in sensuum subsidium summo cum scienti-
ae naturalis incremento utimur.

(a) V. ab una parte Boyleum in tract. de
Libera in nat. not. disquis. & Jo. Christ. Stur-
miam in dissert. de nat. idol. ejusque vindic-
tibus

*eis, Nat. sibi in casum vindic. Ab altera
parte Schelhammerum in Nat. sibi & med.
vindicata & Nat. vind. vindicat: ac Dn.
von Leibniz in act. erud. 1698 p. 427.
(b) ofr. J. G. Walchii philos. Lexic. voc. nat.
p. 1866. & Mel. h. Verdries phys. prol. p.
2. 4. 5.*

§. II.

NON defuere, qui philosophia in Theolo-
gia revelata usum vel penitus nullum a-
gnoverunt, vel saltem intra plus justo angu-
stos cancellos cohibere conati sunt; sed, cum
bona causa, re rite excussa, coram judici-
bus incorruptis succumbere nequeat, infelici
successu id ipsum tentarunt. Saniores enim o-
mnes hanc opinionem, non modo cum sum-
mo utilium scientiarum detrimento conjunctam,
sed & falsissimam esse jam dudum invicte demon-
strarunt, quaestione in contrariam partem de-
cisa. Neque tamen ea est mens nostra, ac si
vellemus procaci familiaritate Theologiae philo-
sophiam admiscere. Utraque enim ex diversis
derivanda est principis. Aliud quoque suadent
nobis tristia exempla tam Patrum quorundam,
qui

qui dogmata Platonis in Theologiam transfuderunt, atque sic phantasticæ alicujus Theologiæ mysticæ fundamenta jecerunt; quam Scholasticorum Theologorum, quorum turba Aristotelis philosophiam, eamque male intellectam, cum Theologia commiscuerunt: unde prorupit monstrum quoddam hermæphroditicum, h. e. doctrina, quæ nec theologia nec philosophia est. Id pro veritate immota assumimus, scientias nempe philosophicas in veritatibus revelatis rite intelligendis, explicandis, ab insultibus hæreticorum defendendis & denique cum aliis distincte communicandis, maximi, immo indispensabilis esse usus. (c) Quod autem sic de philosophia tanquam genere pronuntiavimus, id quoque de Naturali philosophia tanquam specie sub isto genere contenta, & quidem eò maiori jure inferimus, quo illam ceteris philosophiæ partibus esse præstantiorem constat & quo ad veritates revelatas finesque Creatoris cum propius accedere sequentia monstrabunt.

(c) Possent singule hæc enunciationes facili negotio demonstrari; sed jubet injuncta nobis tractationis brevitatis, tam in hac quam in seqq. quo

quoque § §. indicare tantum veritates, quibus, licet demonstrationes omiſſæ ſint, nihilo ſecius unumquemque vel ultro aſſenſum præbiturum omni haud ſine ratione ſperamus.

§. III.

Loquitur præſtantiſſimam naturalis philoſophiæ præ ceteris, Illuſtr. TSCHIRNHAUSIUS, qui in medic: ment. P. 3. p. 383. 1. ſi quod res eſt dicamus, inquit, omnes aliæ ſcientiæ non ſunt niſi humana, utpote in quibus leges explicantur, quæ a ſolo noſtro intellectu formantur, quatenus ab ipſarum rerum conſideratione abſtrahimus & omnia ad nos ſolos referimus; hæc autem ſcientia, phyſica minime, ſola inter eas vere eſt divina. Etenim in illa explicantur leges, quæ a ſolo DEO ſuis indite ſunt operibus, ſecundum quas conſtanter operantur, & quæ nullo modo a noſtro intellectu, ſed a DEO realiter exiſtente dependent; adeo ut opera phyſica conſiderare, nihil aliud ſit, quam ipſius DEI actiones conſiderare. Facile præterea perſpicimus naturæ conſiderationem arde adeo cum natura noſtra, facultatibus, organis, ſitu & ſtatu vitæque genere congruere ut naturaliffima omni

no

8
no illa occupatio judicanda sit; immo nec difficulter intelligimus hominis in statu integritatis negotium in prius fuisse collocatum in contemplatione rerum creaturarum jucundissima, celebratione Creatoris & magnalium ejus ex operibus elucescentium prædicatione. Ceterarum vero plurimam partem disciplinarum necessitatem introduxit status corrupti indigentia, quas homo perfectus multo studio indagare opus non habuisset. Quæ igitur scientia magis cum Theologia conciliari potest, quam illa, quæ ope lucernæ Christianæ easdem semitas ac scalas pro viribus detegere allaborat, per quas ante lapsum ad perfectionem & felicitatem unica patuit via? Num alia unquam scientia propius attingat fines creationis, quam illa, quæ eandem nobis pandere studet operum divinorum harmoniam & ordinem, de quo nos miseros lapsus primorum hominum detrusit, & ad quem nos iterum, ex evangelii tenore, non revocat solum sed & reducere annititur benignitas DEI infinita. Neque certe corporibus mentes humanas inclusit sapientissima conditoris providentia, ut ita otiosæ ibidem hærent, vel corpo-

9
ra tantum, ne putrescant, salis instar condi-
rent; ut, auctore STIERNHIELMIO nostro,
multi sunt qui re ipsa Hälla stältn • Int' ann'
i ställe för salt / at Tropfen han intet må ruttna;
sed, ut & se ipsas & ope sensuum externorum res
extra se positas cognoscerent & perscrutarentur,
atque eodem labore & quæ vitæ necessaria, uti-
lia ac commoda sunt adquirerent, & ad gloriæ
divinæ in operibus manifestæ agnitionem per-
ducerentur, ac indes magis magisque Crea-
torem in creaturis glorificare discerent.

§. IV.

Sed progrediamur ad usus specialiores, quæ
habet uberrimos, in unaquaque fere The-
ologie acroamaticæ parte, solida naturæ co-
gnitio. Offert se nobis omnium primo Mora-
lis Theologia, quæ tribus diversis capitibus
tradit obligationem nostram, vel erga DEUM,
vel proximum, vel etiam nosmet ipsos. Ex-
periamur ergo quid in singulis hisce partibus
præstet Naturæ scientia. Deducit e. g. homi-
nem ad cognitionem sui physicam, cui dein
superstruitur moralis; qui vero mirandam cor-
poris sui structuram, seque cum mente inti-

materiali unionem recte consideraverit, non solum ad laudes Creatoris O. M. & ad gratiarum actiones cum Psalm. 139: 13, 14. vehementer incitatur; sed & simul intelligere discit, quam sint noxia sanitati corporis vitia perplurima, utpote intemperantia, libido reliquique affectus pravi & inordinati; adeoque ad cohibendos eosdem & vitam frugalem degendam impellitur. Qui porro perpenderit corporis sui infirmitates ac fragilitatem, ipsamque vitæ suæ indolem, quæ inchoata quasi mors est, saltem ruinæ imminentis manifestissima præbet indicia, factum omnino omnem vanum ac tumidum ut detestetur animum, fortissima habet motiva; humilitatem vero amplectendam & jugiter ad sui post mortem futuram conditionem respiciendum esse intelligit. Ubi præterea aliorum sortem æque miseram esse deprehendit, ac cogitationum, ausuum, votorum & negotiorum humanorum vanitatem detegit, non potest non aliena quoque commoveri calamitate & ad humanitatis officia, quantum valuerit, sponte præstanda excitari. Eleganter in hanc rem PLINIUS; is demum profecto vitam æqua lan-

ce

ce pensabit, qui semper fragilitatis humanæ
memor fuerit. de N. H. L. VII. C. VII.

Immo si inde ab infantia ad amœnissimam
naturæ tempe manuduceremur; si advesceremus
attentis oculis contemplari opificium mundi im-
mensum & mirabilia innumera, quæ e sinu
suo continuo depromit ac producit polyædala
natura; si denique intelligeremus qua nitent
corpora pueritudine, pollent virtute, quo in-
signiuntur caractere & ad quas regulas suas e-
dunt operationes; utique, hisce oblectamentis
occupati, abduceremur facile a variis voluptati-
bus vanis ac illicitis, quibus jam multos no-
strum dolemus nimium indulgendo, deploran-
dam peccandi consuetudinem fere ab incuna-
bulis sibi contraxisse. Insuper, si hæc, inquam,
intelligeremus, deprehenderemus benignissi-
mum numen, non solum indigentia nostræ,
sed & honestæ voluptati ubique consuluisse, un-
de haud leviter ad amorem, venerationem ac
filialem timorem ejus permoveremur. Hæc pro-
inde inspicere, hæc discere, his incumbere, non
ne transilire est mortalitatem & in meliorem
transcribi sortem, ut verba SENECAE huc ap-

plicare liceat (*d*). Succedat tandem ratiocinium quoddam generale. Omnia ad gloriam DEI condita esse nemo negabit, nisi vel plane atheus vel plane fatuus: homini ergo ratione prædito incumbere ut gloriam DEI manifestet ac promoveat sequitur; res autem creatæ objecta sunt, quæ homines ita intueri debent, ut divinas perfectiones in illis vel latentibus vel corruscantes perspiciant; aliter enim gloria DEI manifestari & promoveri nequit. Hinc quo propius homo res creatas i. e. specimina perfectionum divinarum cognoscit, eo illustrius gloriam DEI manifestat, eoque, finibus divinis convenienter agendo, magis propriam felicitatem promovet, nisi mens adfuerit refractaria & salutis suæ inimica, vel perversitas consuetudine enormiter peccandi altas nimium egerit radices. Quo autem magis Scientiæ naturalis expertus res creatas ignorat, eo minus perfectiones divinas in illis perspicit & consequenter eo languidius ad conditoris cultum & venerationem fertur. Motiva namque ratione & sensu simul percepta duplici vi flectunt voluntatem.

(*d.*) In *Præfat. quest. nat.*

§. V.

EXcipit Theologiam moralem Exegeticam, Quantum vero in illa valeat, de qua agitur, naturæ cognitio, satis manifestum reddunt veritates illæ naturales in sacris litteris passim & fore in singulis paginis occurrentes, quas Theologus physices ignarus, vel tanquam nudas sine mente voces intuetur & plane non intelligit (e), vel perversa interpretatione in absurda deformat sophismata, sicque sæpe, etsi præter mentem suam, blasphemias ac ludibria atheorum revelationem exponit divinam (f), vel denique a physicis earundem explanationem mutuo sumere necessum habet. In postremo hoc casu quilibet, qui vel tantillum certa ab incertis discernere novit, primo statim intuitu videt, securius omnino procedere verbi divini interpretem, si ipse veritates ejuscemodi physicas ex fundamento systematice cognoverit, quam si adoptatis fide carbonaria aliorum interpretationibus, iisdemque sæpe male vel saltem confuse intellectis incertis manserit, num verum verborum θεοπνευστων sentum tetigerit nec ne. Reliquas assertiones nostras ad.

adstruat exempla, quorum nonnulla indigisse tantum, pro temporis angustia qua premimur, satis sit, cum plura qui desideraverit, apud scriptores varios, imprimis Celeberr. BERNH. NIEUWENTYT invenire possit, in lib. eius, qui inscribitur: *Erkenntniß der weisheit / macht und güte des Göttlichen wesens aus dem rechten gebrach der betrachtungen aller dinge dieser welt.*

(e) *Sic nullum fere sensum adaequetur verborum Eccles. 12. 6. qui in anatomia plane est peregrinus. Ea enim, licet per methaphoras, summa tamen cum probabilitate, de humorum in corpore nostro, utpote succi nervi, lymphæ & sanguinis in sua vasa secretionem, eorumque per suos ductus, thoracicum scilicet lymphaticum, chyloferum & venam subclavianam circulatione interpretatus est Nieuw. l. c. conf. 12. p. 187. s. §. 7. ff. Nec certe aliam hujus dicti expositionem admittere videtur vocabulum כולל quod generatim denotat omne id, quod in circulum volvitur. v. Christ. Stockii Cl. L. S. V. T. p. 193.*

Similiter nullum realem adesse nexum verborum in

in dictis Deutr. XI. 10. II. & Ps. 104. 10. advertit, qui nescit & pluviarum & fontium beneficia montibus esse adscribenda. Vid. hac de re Dissert. de usu montium ad aquationem terræ sub præsidio max. rev. præsidis 1744. ventilatam.

(f) Evidentissimum hujus rei exemplum nobis suppeditant loca sacra scr. in quibus sermo est de stabili situ telluris nostræ, & absque periculo lapsus vel dissolutionis, permanentia in statu primitus constituto & a Creatore ordinato, utpote sunt: Joh. 38: 4. Ps. 102: 6. 119: 90. Prov. 3: 19. Es. 48: 13 Zach. 12: 1. Ebr. 1. 10. &c. Hæc enim cum olim Theologi quidam contra motum terræ explicarent & ad robur absurdi istius Ptolomaici systematis arcesse-
rent, non potuere non profanis mentibus occasionem porrigere optatam, sacras litteras ipsique earum auctorem execrandis blasphemis & schomatibus impetendi: prout id relatum legimus de Alphonso V. Castilia rege, qui, tanquam bonus mathematicus, probe perspicuus absurditatem hypotheseos Ptolomaicæ tantopere defensa, in hæc impia prorupit verba:

Si

Si DEUS me in creatione hujus universi a consiliis habuisset, utique omnia corpora mundana in meliori & sapientia ejus magis convenienti ordine jam essent collocata, quam sc. id in modo nominato Ptolomaico systemate factum esse supponitur.

§ VI.

DEvolvitur ulterius ad Theologiam Polemicam, in qua itidem usus physice non contemnendus elucet. Hostes etenim veritatis celestis eam haud raro ex principiis physicis infringere ac labefactare conantur; iisdem igitur telis sunt retundendi. Exultat præ impio gaudio fallax & versuta eorum malitia, quoties se in sacris pandectis aliquid invenisse opinantur, quod naturæ viribus contrariari videatur, quodque sub aliquo prætextu fugillari queat. Solida ergo scientia hanc sophisticam ac cavillatoriam artem deteget, in apricum producet ac destruet. Dum autem huic indagini mentem applicamus, prostant nobis loca Exod. 32: 20. & Deut. 9: 21. in quibus refertur Moles vitulum aureum ita combullisse, ut in pulverem fuerit redactus. Hujus narrationis divinam auctoritatem

tem, ex eo capite profanos homines impugnare notum est, quod ejusmodi combustionem, auri essentia repugnare existiment, adeoque impossibilem esse, siquidem essentia rerum sunt immutabiles; sed falso hæc omnia objiciunt. Præterquam enim, quod aurum experimentis variis chymicis, non secretioribus illis tantum, sed etiam vulgarioribus, in pulverem redigi posse constat, ac ita aquæ misceri, ut potabile evadat; quod quomodo a Mose perfectum fuerit, ope videlicet hepatis sulphuris, omnium verosimillime explicavit STAHLIUS in opusculo a p. 585 ad 607; destructibilitas quoque auri, vitro caustico TSCHIRNHAUSII demonstrata narratur, auro in eius foco jacente, per se in pulverem redacto. Cfr. Hist. Acad. Paris. A. 1699. p. 113.

Neque porro legem Judæorum ceremonialem tam facile a cavillationibus variis vindicabis, nisi ope Scientiæ Naturalis rationes ejus objectivas detegere valueris; quod ipsum in præsentî præstare nimis foret prolixum. Quid? quod in disputatione contra miraculorum divinorum obtrectatores vix aliquid proficies, nisi legibus & viribus naturæ rite intellectis, quid naturali

ter, quid vero miraculo se contingere potuerit ad oculum demonstraveris. Nec insuper ignotum est, Jul. Cæs. Vaninum aliosque ejusdem farinae homines, pessimum & absurdissimum atheismi errorem, *generationi equivoca* superstruxisse.

§. VII.

Sed neque in Homiletica Theologia insignis Naturalis Scientiæ deerit usus. Etenim, si vestigia legens sacrorum amanuensium & ipsius sanctissimi Salvatoris homileta, in homiliis atque exhortationibus suis, ad res naturales & ordinem naturæ provocare ac ubique digitum intendere noverit, certe majori cum successu, quam communiter fieri solet, officii sui partes exsequeretur. Extorquent quasi assensum huic asserto præbendum verba Max. Reverend. Præsidis, quæ proinde, venia ejus, huc adponere licebit:

Multos audivi sinceros & bonæ frugis sacerdotes conqvestos esse, quod summa licet ope nitantur, ut auditoribus, rudi vulgo, hæreat memoria doctrine & dogmatum, quæ festis diebus e suggestu traduntur, ut toti vitæ jugis regula sint, parum tamen proficiant & omnis labor tantum non sit inutilis. Agricola enim aliis curis occupatur, quam

quam ut animum adplicet rebus, quas ab aratro & operibus suis tanto spatio differre credit. Nec tere benignius fatum ipsa christianismi rudimenta seu catechesin manet; & quid mirum, quousque opera quotidiana cum christianismo non majorem, quam pro vulgi opinione, habent connexionem & harmoniam? Contra vero si posset verbi divini mysta sanctiori oculo ea, quibus occupantur auditores, considerare; meditationes suas subjectorum conditioni adplicare & veritates christianas similibus & exemplis illustrare, quibus familiariter solita est adherescere mens instruendorum, quaeque jugiter illis obversantur; sane & uberrimam materiem sacrarum cogitationum haberent, & melius omnino negotium procederet. Praecipuum autem est, permoveere auditores, ut qualitercunque observent insignia illa documenta presentissimi numinis in omnibus rebus, quae eos circumstant, quas unquam tangunt, quibus continuo utuntur. Eset tum profecto etiam, quod indoctae turbae semper Deum & pietatem cum monitis vitae christiane necessarius in memoriam revocaret, immo quod segnes excitaret, protervos truderet, & id quidem [quod maximum est] eo

modo, ut nequiquam in curis & laboribus solitis impedirentur. Oratoris est auditores nosse, quibus sua persuadere vult; persuademus autem ut plurimum tumultuaria affectuum motione; qui autem sanctiora tradit, tirones suos duratura convincat cecitidine; cui quam maxime conducet fini, si modo auditoribus intelligibili & familiari argumentatus fuerit. Et possunt quidem omnino haec omnia populari, apta faciliqve oratione confici. Sic agricola e. g. plurimas res curat, in quibus continuis radiis sapientia, cura bonitasque divina fulget; cuius nec ipse inscius est, sed luce quasi caecus videt, maxime vero sui bono intelliget, simulac ducem, auctorem, monitoremve natus fuerit idoneum. Is autem dux & auctor suas rite non persequetur partes, nisi ipse prius historiae naturalis studio sibi oculos aperverit & attentioni reflexive adspexerit. vid. Discurs. de introduct. Hist. Nat. lect. in schol. & gymnasia p. 14. 15.

§. VIII.

Quamvis ex his, quae in §. §. 5. & 6. adduximus, necessitatem Physices in vindicanda revelationis divinitate quodam modo jam dispalcetere existimemus; tamen quo id implum

plum eo luculentius pateat, sequentem syllogismum hypotheticum addere iuvabit.

Si in scripto quodam continentur veritates physicae, quae, vel ob defectum instrumentorum ad instituenda experimenta necessariorum, vel alias quascunque causas, tempore, quo concinnatum est & multo post, omnes homines latuisse verum est, utique origo ejusdem, unde videlicet id promanavit, quod hominibus ignotum fuit, divina erit censenda. atque jam nostra aetas plurimas in sacris litteris ejusmodi veritates detexit. E. Consequentiam nemo impugnabit, nisi qui substantias aliquas inter DEUM & homines medias fingere voluerit, revelationis auctores. Qui vero ipsam hypothesein, ex qua consequentia legitime fluit, in dubium revocat, is consulat exempla, & convincetur de rei veritate.

Sic Job. 38: 31. agitur de vi ista attractiva, qua unumquodque corpus planetarium ita fertur ad centrum, ut in motu & cursu a situ suo non aberreret: quod satis clare indicant voces, כִּסְפֵּית, stella, planeta, וְכִסְפֵּית quae descendens a radice כִּסְפֵּית trahere, denotat tractionem vel vim

☉ facultatem trahentem (g). vid. hujus loci
 uberiorem expositionem in NIEW. l. c. conf.
 27. p. 720. ff. §. 17. J. Ad hoc autem dete-
 gendum, cum plurimæ observationes necessariae
 sint, quæ vel naturam gravitatis ☉ attractio-
 nis concernentes a GALILÆO demum ☉ a-
 liis post eum factæ sunt, vel sine ministerio te-
 lescopiorum, quorum inventio, prout omnis te-
 statur historia, temporum est recentiorum; in-
 stitui nequeunt, quemadmodum ex Astrono-
 mia notissimum est, non potuit non penitus a
 veteribus Judæis ignorari: Adeoque patet effa-
 tum Jobi cit. humane originis non esse. Simi-
 lia fere exempla exstant: Fer. 50: 41. ubi fi-
 guram telluris exacte sphericam non esse lucu-
 lenter indicari contendit saepe cit. Niew. conf.
 21. p. 453. f. §. 26. ☉ Job. 21: 23. 24. u-
 bi clara ☉ distincta fit mentio Vatorum la-
 cteorum in corpore humano; quæ tamen con-
 jectura tantum quadam attigisse Erasistratum,
 ☉ Ao. primum 1622, certo detexisse, Casp.
 Asellium, referunt Historici. Immo adhuc lu-
 culentiora specimina præbent Ps. 139: 16. Eph.
 4: 15. 16. c. 1: 22. 23. ut alia multa præter-
 eamus.

(g) *cf.* C. Stockii Cl. L. S. V. T. p. 540. ²³ 626. *item* Lexic. Dn Robertson.

§. IX.

Magni, de cetero, ad scopum nostrum momenti esse existimamus, paucis monstrare, quod superstitiones, prouti, qua maximam partem, ignorantia & erroribus in Naturali scientia cunas debent, ita quoque sine solida naturæ cognitionis adminiculo e mentibus rudis plebeculæ exterminari nequeant. Non autem nobis in præsentī sermo est de illa superstitionis specie, quæ, absurdis de ipsa DEI essentia eumque colendi modo opinionibus, omnem veram religionem penitus evertit, atque christianum prorsus nomen respuit. Sed eas loquimur superstitiones, quas etiamnum penes nos vulgus ac plurimos eorum, qui supra vulgus non sapiunt, premere impente dolemus, & quæ veræ Religionis exercitium ejusque fines optatos haud parum impediunt; dum e. g. vel potentius fictius ac imaginarius aliquid, vel rei cuidam existenti plus tribuitur efficaciam, quam decet & ipsis revera competit. Triplici hic plerumque ratione super-

per

perfitiosos in nostris oris a præjudiciis suis turpiter falli deprehendimus. Primo namque cum veteribus Cabalisticis tenaciter credunt existentiam quorundam spirituum elementarium aliorumque, utpote Najadum, Nanorum, Nympharum, Larium, geniorum &c. Immo cum Paracelsistis spiritus archei, vel etiam naturæ plasticæ universalis a COUDWORTO (b) tantopere defendit. Et prout hinc suis spiritibus singulis aliquam adjudicant facultatem, varios in mundo materiali producendi effectus, ita eosdem quoque variis impiis & sanæ rationi contrariis cultus generibus prosequuntur. Sic. e. g. in quibusdam nostræ regionis parœciis ab hinc remotioribus etiamnum, tempore diei omnium sanctorum, celebratur festum illud, quod *Kefri* nominatur, in quo Lares (*gårdshalder eller gårdsrår*) suos vario adparatu placare solent, qui ex eorum nutu multa in rebus domesticis vel bene vel male accidere credunt. Nymphas item (*Slogsrår*) & spiritum archeum (*Fenn: Mahinen*) multis in casibus, vel oblatione guttarum, quæ in coctione cerevisiæ ac destillatione vini combusti primo prodeunt (*Sör. drop.*

droppar), vel alio quocunque modo benignos sibi reddere e re esse arbitrantur. Secundo: effectus quosdam naturales, tanquam futuri cujusdam boni, & mali prælagia, suspiciunt, quorum tamen eventum physica quadam actione facile interdum impediri posse non negant. e. g. Si gallina instar galli cantaverit & pedes ejus frigidus fuerint, tum exinde mortem alicuius ex ista domo sublecuram vane augurantur; sin vero pedes fuerint calidi, infausti tum incendii omen inde desumunt; sed decapitata mox gallina, utrumque augurium si non vanum penitus reddi, tamen procul differri ridicule credunt. Tertio denique, ex incertis signis futura superstitione indagant & certo determinant, prout id fieri solet in Astrologia judiciaria, Physiognomia, Chiromantia, Geomantia, aliisque divinationis generibus. De artibus magicis, quæ ex superstitionibus plerumque oriuntur, nihil nunc adinet dicere.

Quis autem hinc non videt hæc mala & religionis ac virtutum impedimenta Scientiæ naturalis ministerio optime propullari posse. Etenim quamdiu rustica simplicitas penitus ignorat nec

con-

conjicere valet veras effectuum naturalium causas & corporum agendi rationes; tamdiu desiderio sciendi in opinionibus execrandis detinetur, sapiusque confirmatur, si quando eventus illis conformis, licet ex aliis plane causis ortum ducens, incidit; Ubi vero Theologus vires & rationes corporum agendi aperuerit & singula phaenomena ex causis naturalibus sequi posse ostenderit, certe plurimis suis superstitionibus liberaretur, nec postea effectum alicui causae attribueret, priusquam nexum causam inter & effectum perspexerit.

(b) in *System. intellect.*

§. X.

Supereffest adhuc ut paucis attingamus utilitatem illam insignem, quam extra officii sui partes ex Scientia Naturali reportat Theologus sacris ordinibus admotus. Illam vero optime & succincte exprimunt verba max. rev. Praesidis in disc. antea cit. p. 17. 18. *Sacerdotum maximam partem cura ovium longe a Medicis & apotheca removet; plurima enim apud nos parvae minime a civitatibus primariis assiste sunt; e re igitur esset, ut possent pastores, suae suorumque sanita-*

sanitati, regulis diæticis & pharmacis bonis
 consulere. Etenim hoc minus abhorret a sacerdo-
 ti sanctitate, quam plurima alia negotia & ope-
 ra profana, quæ, ut communis fert praxis & opi-
 nio, auctoritati ministerii nihil efficiunt. Propria
 insuper me perdocuit experientia, quod in paræci-
 is remotioribus, ne dicam omnibus, vulgus tan-
 tum in præcone ponat spem, ut ab eo medicinam
 tam corporis quam animi expectet, quod ego,
 ut corrigere nequeo, ita improbare nolo. Rusti-
 ca simplicitas sacerdoti omnia tribuit, nec est plu-
 rumis in locis alius qui supra vulgus sapere judi-
 catur: quod si facilis conveniri potest & bono
 demum consilio faverit eventus, utique indies &
 pastoris in ecclesia auctoritas, & auditorum in
 eum amor, confidentia, sinceritas &c. crescet.
 Quantum inter has curas introspicere dabitur in sta-
 tum & circumstantias auditorum nihil attinet dicere.
 Ego his tantum positis, studium Naturæ maximo-
 pere urgeo. Consulat enim sacerdos melius tam con-
 scientiæ suæ, quam agricolarum salutis & com-
 modis, si cum ratione consulere & salutaria a
 noxiis discernere noverit, quam si idiota sine ra-
 tione ageret & ita periculum faciendo, in pericu-
 lum

lum se & alios duceret, &c. Ad hunc autem finem obtinendum requiruntur quædam de constitutione corporis, diagnosi morborum &c. notitiæ item naturalium cognitio, quæ medicamenta præbere possunt. &c.

Sed ex dictis jam nemini obscurum fore speramus, quod tot tantique sint omnino Naturalis Scientiæ in Theologia Revelata usus, ut quamvis studium ejus præceptis christianiſmi non injungatur, tamen nequaquam a Theologo Christiano sine culpa contemnatur. Neque certe pia mens, quæ regimini spiritus divini subjecta est, obiter tantum & perfunctorie divina opera contemplantur: nec illi officii sui partem negliget quilibet christianus, qui modo perpenderit gentiles quoque eam ob negligentiam inexculabiles pronunciari. Rom. I.

TANTUM.

S. D. G.

